

VIRO DOCTIS-

SIMO IOANNI SCHONERO

MATHEMATICO PHILIPPVS ME-

lanthon S. D.



CVM Vrbs Noriberga multis ciuilibus ornamentis abundet, hoc decus profecto non in postremis numerandū est, quod aliquot iam seculis perpetuò in ea urbe, studia Mathematicum magna cum laude floruerunt. Atq; ita genius urbis huic pulcherrimæ parti Philosophiæ fauet, ut non solum aliunde accersiti sint à repub. homines doctissimi, qui eius doctrinæ possessionem retinerent, sed etiam procrearit ipsa urbs multa scelicia ingenia, quæ in his artibus excelluerunt, colantq; has disciplinas non solum pauci quidam ociosi, solis dediti literis, sed alij etiam multi, occupati tum priuatis negotijs, tum reipub. procuratione. Meo quidem iudicio gloriosius est Athenis, quod philosophiæ & omnium optimarum artium, quæ ad bene beatèq; uiuendum necessariae sunt, inde usq; à Platonis ætate ad Antoninorum tempora annos ferè sexcentos domicilium perpetuum fuerunt, quàm quod principatum Græciæ tenuerunt annos septuaginta, qui non solum nihil utilitatis attulit uenturæ ætati & reliquis gentibus, sed tunc quoq; Athenis ipsis calamitosus fuit. Ne
Miletū